



V I T A
CHRISTINÆ
SVECORUM. GOTHORUM VANDALORUMq;
REGINÆ:

usq; ad ejus
in Brabandiam profectionem: ab eo,
qui longo tempore HOLMIÆ in Svecia egit
Gallicè primùm delineata: mox in Belgicum
conversa;
jam verò latinè reddita.

Lege & miraberis.



D. S. S.



BREVIARIUM VITÆ
CHRISTINÆ
Reginæ Sueciæ.



Noti Europæ dubio procul inno-
tuit, Christianam Sueciæ Reginam Regni admi-
nistrationem sceptraq; non tam pridem resi-
gnasse, in quæ CAROLUM GUSTAVUM
Principem solemniter contulisse: quod factum
pugnantia hominum subiit iudicia. Rerum
politicarum imperiti magnanimam Virtutem & sine exemplo
opus admirantur summeq; laudant. Politiores subactiorisq;
iudicij viri maximam fœminæ stultitiam interpretantur. Qui-
bus autem Regni Suedici & ratio & status cognitissimi sunt,
apertè dicunt, eam, decoctis bonis, foro cedere suis voluisse
creditoribus. Quibusdam aut fides, aut opinio erat: eam, com-
perto, Suecorum animos solutæ ac profusæ dominationis suæ
pertæsos, sequè illis exosam propterea esse, fasces spontè po-
nere, sequè ita Regno abdicare, ad præcavendum ab infensa sibi
& nimium quantum se observante parte oritura mala, apud se
decrevisse. Ast quibus Reginæ Juventus atque inconstantia
nota probè est, factum id ex muliebri & solitâ animi levitate
atque temeritate, expressè & palàm omnibus dicunt. Taceo,
quas super hâc re in Germaniâ, Daniâ, Sueciâ & Belgio pronun-
tiari ipsemet, audivi sententias. Siquidem, ijs ut fidem habeam,
adduci minimè possum.

II. Princeps ista, primis imperij sui annis, in omnibus
Europæ populis admodum inclaruerat, omnibusq; in ore en-
comij materia CHRISTINA fuerat. Nec sine ratione. Eo quip-
pè tempore religiosissima, justissima, omnibus Eruditionis ac
Prudentiæ virtutibus instructissima Princeps dici verè poterat.
Quâ porrò comitate & clementiâ erga subditos, quâ liberalitate
ac munificentiâ fuerit, clamant Eruditi, testantur tot ab eadem
sublevati pauperes. Verbo: Optima, Maxima, Augusta fuit
Princeps. Quoddam verò monstrum ex Gallijs, ad inhabitan-
dum

adum rupes, desertaq; Sueciæ latibula, quæ olim Gothi ad spiri-
tum in Italiâ Galliaq; resumendum deseruere, ejectum proscri-
ptumq;, Reginae animum adeo fascinavit, ut eam ad nutum
haberet, atque in omnibus, quæ tantum placerent (tanquam
si sacramentum sibi dixisset) toto suæ in Suecia mansionis tem-
pore, haberet obsequentissimam, suo quidem bono ac emolu-
mento; cæterum, non sine ingenti Orbis, maximè autem
Regni Procerum odio: qui, hominem impurissimum & semis-
sem ad tantum honoris fastigium promotum, indignantes, in-
terficere quotiens non conati sunt. Hic homuncio, profes-
sione medicus, religione *à J. G.*, pietate nullus, opinionum
suarum virus Reginae animo ita instillavit, ut eam sibi similem
redderet brevi: in tantumque immutavit, ut ipsa non amplius
constare sibi videretur. Gaudebat quidem tum adhuc *Magna
Christina* nomine, sed nihil minus, quam virtutibus regijs aut
Christianis. Comissiones ante hæc instituere in aperto solita
fuit: ubi ex more, varijs iisque elegantissimis colloquijs exer-
cebatur: quæ auliculate, officij ergo adstantibus aulicis deli-
ciari admodum erat, non sine Regiæ subtilitatis admiratione
omnibusq; numeris absolutæ scientiæ veneratione, quâ cele-
bratissimam se toto orbe fecerat. Iste autem (si ita Dijs placet)
Politicus, mox eam aulicorum oculis & publico subtraxit: utq;
eam solus quasi possideret, suis impuris ineptijs ac lusibus deti-
nuit. Etenim, peregrini impostura successu diuturnitate dum
superbit omnibusq; præstat, potissimos quosq; à Principe ab-
alienat, regiam variè versat, virisq; illustribus emungit. Impu-
dentia certe nebulonis istius, non Primates regni tantum alios-
que, qui multum gratiâ apud *Christinam* antehac valuerunt,
aggressa est; verum ipsorum etiam familiares atque domesti-
cos: præcipuè à quibus offensus fortè erat eò, quòd, de occu-
pato in Reginae animum imperio plusquam Thraconicè & more
consueto gloriant, contradicerent læpissimè: quippè Regi-
nam cœcum brutumq; affectuum in compositorum dictamen
versabat; rectori autem isti vel gratiam, vel odium atque iram
in subditos Reginae (porco isti in gratiam ita loquor) ingrun-
nere, nullum erat negotium.

III. Tandem, cum hæc tanta ejus imprudentia, aut (utrumq; de eò rectè dixeris) impudentia eo usquè proveheretur, ut tolerari haud posset amplius, cædes ei omnium suffragio & conspiratione decreta est. Quod sanè decretum immaturum, eruentumq; tùm videbatur. Consultum tamen erat, nauci istum hominem interficere. Quippè, si ad istud exemplum, omnes scelesti ac perfidi Principum alastores tollerentur: utiq; alijs, optimè de Regno atquè Principe merentibus, singulare fieret operæ pretium. Accedit, quod proscriptos occidere jura legesq; permittant. Quod si ita est, nequè, hominem Divinis humanisq; exemptum Legibus interficere, piaculum erit. Cognito autem homo callidus, qui nihil generosi unquam præstitit facinoris, insidias sibi atq; exitium parari, omniaq; infesta sibi de subito discessu cogitare, Principemq; sollicitare cœpit. Dimissus itaque ex Sueciâ ultra 100000. coronatorum, tam innumerato ære, quàm gemmis, monilibus argenteisque vasis secum abstulit. Ast ô iratum Suecis fatum! Neminem Holmiæ repertum, qui transfugam istum nequissimum è vestigio persequi, totq; patrata sacrilegia & imposturas, quibus toti Regno adeoq; & ipsi Reginae imposuerat, ipsius sanguine expiaret! Sic tamen visum superis. Multi subditorum ejus iniquitate oppressi tum respirarunt, magnumq; in omnium cordatorum animis ejus exarsit odium. Sed altiùs Christinae animo ipsius venenum insederat, validosq; eidem impresserat fascini sui characteres, ad omnia in pristinum statum restituendum. Mira sanè res fuit: in nullo negotio pertinaciorem unquam Principem extitisse, quàm in eo, quod Majestati derogabat, eamque prostituebat maximè.

IV. Advertent procul dubio cordati omnes, qui metamorphoseos istius spectatores in aulâ tum aderant, quem hominum tantæ postulem nequitiae. Nihilominus, ut toti constet orbi, me non commentum ista, palàm & cælo teste profiteor, impudentiae nequitiaeq; istius exemplar esse atheum illum, nomine *Bourdelotum*, qui etiamnum hodiè pane, quem dicunt, pauperum vescitur, cruoremq; Crucifixi fugit, inconsutili Ecclesiae tunicâ monstrum hocce vestitum. Siquidem Abbatiam
â Re-

à Rege Galliarum post, continuas Christinae intercessionem non ita pridem obtinuit. Adeo prolixus Svedicæ Principis in securam istum fuit animus, constansq; eum promovendi voluntas (Româ quippe, cognitâ morum ejus pravitate, beneficium hoc ei denegaverat) ut non prius Regiam Gallicam inquietare desineret, quam execrandum idolum istud in templo Dei locatum cerneret.

V. Exacto itaq; turpiter ex ac profugo Sveciâ monstro, Regina impostoris impietatem exulare haud passa, mox sine Deo & religione, legibus soluta, in disceptationibus Libertina, Scripturæ falsatrix, calumniatrix, insultatrix, ejuratisque omnino virtutibus vixit: ut dici verè potuerit, eam post Bourdelotum præter nomen & Regnum, nihil retinuisse regij. Ast quæ hæc tam subita & fatalis mutatio? Cecidit, cecidit AUGUSTA Christina: olim Magna, jam nulla Christina. Tu verò Svecorum natio clarissima, Regni tui diadema tam pollutum æquæ res animo? Nam, cujus virtutes non tam pridem totus orbis adoraverat, ea jam risus & fabula omnium Princeps vestra est! Equidem oculi vobis lacrymarum perpetuæ scaturigines esse ideò debent: partim, quod Divina Providentia vobis de religioso, sapiente magnanimoq; Rege non antè prospexerit, qui magno vestro bono vos ad sera usque Fata regeret. Et vos ô Galli, contractas Meccœnati vestro munificentissimo deflete manus! Num jam vos liberalitatis suæ faciet participes? Luge te olim vestri amantissimam vosque protegentem Principem! Deseruit vos. Ad me, quod attinet, persuasus certò sum, lacrymas oculis vestris brevi exsiccatum iri, qui aliquanto jam tempore à Reginâ habitum inclementius estis. Auditor vobis sum, è reque vestrâ melius erit, Gothicis istis solitudinibus relictis, patriam mecum repetere Galliam. Non tanti amplius ibi estis, odium fabulaq; hominum.

VI. Redeamus porrò ad perditam nostram *Christinam*, quæ profecto ante infelicem Bourdeloti in Sveciam adventum, pijsima, devotissima, Religionis Christianæ, ut supra monui, studiosissima fuit. Postea verò eam comperimus dubitare, an Deus & Providentia sit: non credere Paradysum, infer-

num, Angelos, Diabolos, resurrectionem, iudicium: & ex consequenti, nequè *Anima immortalitatem, Incarnatio* fabula ei absurda erat. Quæ uti horrenda & monstrosa sunt: ita, qui aulam *Christine* non frequentarunt, eorum fidem superabunt. Non certè annalium: præsertim, ubi rei istius veritas fidei probatæ oculatis testibus confirmata abundè fuerit. Etenim non in uno eodemque pleno confesso, dissertatione suâ, latentes hæcenus opiniones suas prodidit. Testis horum omnium ego sum, fide atque integritate magnis Viris satis superq; probatus. Hoc autem ex relatione honoratæ cujusdam personæ, quam in tali quidem materia mentiri haud decet, habeo: Reginam aliquoties trium vel quatuor horarum spatio accuratè disquisivisse; *Num Deitas vel Providentia totum hocce universum regeret?* Quo in negotio vacillâsse quidem eam maximoperè, sententiamq; hæreticam exquisitissimis Libertinorum rationibus propugnasse, deprehendit; cæterum, omnia hæc ingenij exercendi magis & ostentandi, quam certissimi Fidei articuli evitendi gratia, Reginam fecisse, verò similiùs sinisteris suspitionibus impervius ejus animus existimabat. Demonstrare quippè eam voluisse, amentes eos esse omnes, qui Providentiam oppugnant, cum ad eam evincendam vel ipsius Naturæ Lumen sufficiat: profundioris longè emunctiorisq; acuminis Reginæ fuisse ingenium, quam ut, manifesta in dubium vocare, ei permitteret: Principem Scientiæ suæ, in quâ multum profecerat, hocce pacto quæsisse exercitium: more Scholasticorum, quibus in ipso statim Theologiæ exordio, *An DEus sit Theologiæ objectum*, quærere, atque per opiniones quasdam, existentia divina aliàs derogantes, disputare, est receptissimum. Sed compertum habemus, Principem istam non exercitij gratiâ, quàm ex solitâ contradicendi libidine, serioq; ista omnia in dubium vocasse: ac in disceptatione Legibus divinis humanisq; adeò solutam, ut cordatiores, in Fide orthodoxâ fundatam minimè, ex eo collegerint. Audivi non semel, cum finitis sacris palatium repeteret, dicentem, indoctiorem se, quam antehac erat, sermone sacro redditam. Et cum fortè Ecclesiastes invektivam faceret, eò quod aulam quandam, humanis, ijsq; nudis picturis (erant autem

autem ibi imagines Protoplastorum, nuditatem apertè nã-
mis atque indecorè repræsentantes) repletam, in auditorium
verbi divini destinasset; ad ea respondit: ipsò eos suam egregiè
prodere imperitiam, quod nesciant, Adamum & Hevam nu-
dos esse creatos: licere eosdem quibusvis describere coloribus
ad ipsum archetypum seu exemplar, quale è manu Conditoris
prodiit: neq; sinistrè magis imagines pictoris, quàm ipsius Dei
opera interpretanda esse, contendebat. Ab adventus autem
Bourdelotti in Sveciam tempore, Majestatem apud omnes a-
deo prostituebat, ut omnes ipsius colloctiones, relationes
historiæ aliud nihil, quam fabulas, jocos obscenos aliàsque,
quæis multum delectabatur, impuras ineptias sonarent. Quin
immò membra, quæ revelasse naturam puduit, proprijs nati-
visq; nominibus, sine ullâ eorundem involutione & verecun-
diore circumscriptione appellare, seriò atque severè manda-
verat. Aulicus quidam, qui in ipso officiorum suorum exor-
dio cum Regina confabulari frequentiùs solebat, cognito eam
nugamentis valde delectari, cumulatisime ea subministrabat.
Forte verò res eloquendæ erant, quas verecundiore tropo con-
tegere Regia Majestatis sanctitas eiq; debita reverentia mone-
bant. Quò cum hæsitans devenisset, ipsiq; generosus pudor si-
lentium indixisset: ipsamet virginali pudore posito, nativis vo-
cibus, nullâ vel sexus vel ætatis ratione habitâ, etiam obscœnis-
sima quæq; palam omnibus protulit. Ingentem talium vocum
amicus meus mihi recitavit catalogum, quas consultò præte-
reo, dum tempori Lectorisq; innoxij verecundiæ parco.

VII. Atheismum ex eo colligere licet, quod omnes suas
peregrinas profectioes, animæ curatore nuspiam, archiatro
ubiq; se comitante, instituerit: majorem scilicet corporis, quam
Animæ habere oportebat rationem. Simulaverat quidem
Ecclesiastem secum se abducturam; at vix dum Halmstadium
Daniæ pervenit, cum miser ille cum sacco domum remittitur.
Oblatum deinde sibi alium Hamburgi, accepturam se itidem,
alieno tamen animo, promiserat. Pro concione sacra, cui ali-
quoties Holmiæ intereram, parùm se devotam moræq; impa-
tientè non uno prodebat indicio. Sessitabat in sellâ holoserico
auro-

auroq; artificiosissimè intertextâ, inclinato manibusq; sufful-
to capite, Hispaniam dubio procul cogitans, ibique ferè non
jam arces & palatia ædificans. Si quando Ecclesiastes sermo-
nem ultra horæ demensum protraheret, moræ tædium, cum
catulis duobus vel colludendo, vel cum adstantibus sibi officij
gratiâ confabulando, fallebat. Aliquando tantum flabello su-
per sellâ suâ edebat strepitum, ut, si Ecclesiastes Reginae mori-
bus concedere aliquid voluisset, omnia hæc impatientiæ indi-
cia, tacitamq; silentij impositionem ac demandationem inter-
pretari facilè potuisset. Sed Concionator nihil minus quam
sermonem contrahebat; aut ex assuetudine, aut quod hæc ra-
tione Reginae petulantiam frangere inq; modestiæ ordinem co-
gere eam cogitaverat, eo præsertim tempore & loco, quo res
divina peragitur. Quò tamen profectum nihil est & *Christina*
antiquum obtinuit: vicus enim Libertinum Bourdeloti Reginae
in animo altissimè infederat, ut omnes de Principis restituti-
one desperarent.

VIII. Eandem animi inconstantiam in exteris postea
prodidit. Hamburgi, cum ageret, templumq; alias frequenta-
ret, Oracula Dei absq; ullâ reverentiâ modestiâ, religione, im-
patienteq; animo audiebat: ut multi, qui ejus videndi gratiâ eò
confluxerant, in sinistra, quam de eâ jam pridem conceperant,
opinionem confirmati fuerint. Nequè vanus omninò, erat sa-
crorum in Sveciâ Antistitum metus, quem, cum discessum inde
pararem, mihi aperuerunt: se scilicet vereri maximè, ne ad Pon-
tificias superstitiones deficeret aliquando. Suspicionem au-
gebant sacrorum contemptus: Evangelicæ Fidei professorum
vilis aut nulla æstimatio: plurimæ pro Libertinorum sententiâ
institutæ dissertationes: quæ & plura alia tantæ Principis rui-
nam tum præsagiebant tantum, sed minabantur etiam.

IX. Haud abs re jam fuerit, si itinera, ejusq; in peregrina-
tione mores observaverimus. Consultum atque è re *Christi-
nae* visum fuit, moderno Sveciæ Regi proceribusq;, ut post red-
ditum Reginae Matri, quæ Nicopiæ perpetuò agebat, officium
veniamq; impetratam, in Olandiam (est Insula amœnissima,
in mari Baltico sita, quam sibi *Christina*, in sedem edecuma-
verat,

verat, antehac Regiæ Celsitudinis, jam Svecorum Majestatis, CAROLI GUSTAVI possessio) indeque in Pomeraniam, ad videndum decreta sibi bona mansionemque proficisceretur. Quæ profectio, ut maturaretur, Rex instructa septem navium classe, quæ Reginam sub Wrangeli auspicijs in Insulam deduceret, Præsidi illius loci in mandatis dedit, ut Reginam, majestatem decente Regioque apparatus, exciperet. Sed *Christina*, profectio- nem prætendens, jamque unius diei iter emensa, consilium subito mutavit, iterque transversim per Daniam instituit, subinde Hispanorum more palliatâ, tania dependente, nemine majesta- tem ejus advertente, equitans Hamburgum processit, ubi (lo- cum ab Amplissimo Civitatis Senatu sibi destinatum asperna- ta) apud quendam Judæum professione medicum divertit. Egerrimè hoc tulit Magistratus, à *Christina*, cum suo apparatu pro Majestate personæ splendido satis, habitus ludibrio. Neque minus Ecclesiasticis bilem movit factum hoc, quod, zelo do- mus Dei acti, ex suggestu passim improbabant, facti impieta- tem optionisque stultitiam exaggerantes, quod injurati *JESU CHRISTI* perfidique hostis, & cui, Christi nomen execrari blasphemareque devotionis summa est, divertisset. Qui elen- chus varia auditorum contrariaque habuit judicia. Plurimi fa- ctum damnabant Potissimi autem, prudentiores hoc in casu concionatores volebant: cautiùs cum personis Principibus mercandum; quarumque nos fugiunt rationes, circumstantijs indulgendum aliquid, conjunctis sententijs affirmabant. Ad quæ, responsum fortè rogata Regina: Christum per omnem vi- tam cum Judæis conversatum: eundem ex ipsorum semine ori- undum, proptereaque ipsorum communionem præ cæteris gen- tibus exambivisse, confidenter admodum respondit. De cujus responsi tenore pronunciare te, Lector, velim. Hamburgo tan- dem, more Principibus consveto, temporeque alieno, discessit. Ibat quippè in quartam demum vel quintam horam dies, cum è convivio, quò eam Illustrissimus Hassiæ Landgravius pridie exceperat, non domum se reciperet, sed itineri accingeret, adeoque hospite Magistratu insalutato discederet, id quod sini- strè ab omnibus interpretatum est. Accedit, quòd cum Fœdera-

tas Belgij provincias petere haberet in animo, non nisi sex ministris masculis, nullâ verò fœminâ propter Orbis existimationem munita: dimissis, quas in ministerio longo habuerat tempore, duabus Batavis virginibus, nullo vel salario vel honorario ijs dato, aggredi tantum ausa iter fuit.

X. Haut alijs moribus in Belgio fœderato, quam in Daniâ & Hamburgi vixit. Incognita provincias urbesque intravit. Proditâ autem aliquando, junctis currui equis, ne publicè nomine Præpot. DD. Ord. GGralium salutaretur, in eas, quæ Hispano adhuc parent, Provincias profecta est. Sed nec dum ejus ibi satisfactum esse genio comperimus: eo, quod intimæ ejus admisionis familiaris Hispanus *Pigmentellus* tum non adfuerit. Bourdeletto is successerat, Reginamque pro suo arbitrio, quam diu in Sveciâ ageret, versabat. Hujus in gratiam comestationes, satyras, choreas, tripudia, exspatiationes, aliosque innumeros apparatus ludos quotiens non dedit? Ex quo cum ipsum, quò Regno renunciaret, auctorem fuisse Reginae, non pauci conjiciebant. At hoc ipsum Christina in animo jam sibi fuisse pridem, in literis ad D. Chanutium, Galliarum Regis apud Præpot. D. D. Ordines Gen. Belgij Fœderati Legatum, ingenuè confessa est. Conjecturæ rationes erant, quia præ cæteris potissimum cum Regina cœnitabat: quia in exspatiationibus fidus Achates semper ei aderat: quia vesperi confabulationes cum eâ, ad horam usque noctis tertiam vel quartam, producebat: quia non meliùs antecessore *Bourdelotto* in rem Principis faciebat. Haut sanè caruit omine tam repentina vicissitudo: *Christinam* è Galli manibus excidisse, Hispanoque a laetori factam esse prædam, qui tantum suis apud eam profecit blanditijs, ut ad primum animi ejus indicem Regina Lusitaniæ Legato, non se ejus Dominum *Lusitania Regem*, sed *Bragantia saltim Ducem agnoscere*, responderet. Nec meliore habiti sunt sorte cæteri quoque magnatum ministri: qui, contemptum sui non ferentes ampliùs, aulæ tandem consensu mutuo valedixerunt, non, nisi vocantibus se DDnn. suorum deputantium negotijs, ibidem convenientes.

XI. Nec

XI. Nec prætereundus est famosus ille Ludus dramati-
cus (Galli *Ballet* vocant) quem Regina, pridè quàm *Pigmen-
tello* discederet, non instituit duntaxat, sed in propriâ perso-
na, deposito Majestatis peplo larvaq; Petauristæ assumta, lusit
saltavitq;. Observatu & hoc dignum est, quod, cum aliam finge-
ret aptaretq; sibi larvam, demum digito annulum, (conti-
nebat autem gemmam præterpropter quadragies mille florenis
æstimatam) *Pigmentello* asservandum interea tradidit. Quod
depositum, simul atq; histrionicam induisset, Princeps ite-
rum reddenti sibi, ne quid ad opum stultitiam deesset, non
sui esse moris donata semel repetere, respondit. Majus longè
argumentum habet extraordinaria legatio ad Hispaniarum
Regem, quâ Majestati ejus, pro tam egregij splendidiq; Oratoris
ad se missione, ingentes gratias egit.

XII. Decantatissima quoque Nostra in Orbe fuit, ob
singularem erga Eruditos benevolentiam, quos ex varijs Euro-
pæ Academijs conquisitos in Sveciam evocaverat, eosque cle-
mentissimè atque munificentissimè habuerat. Indè tot ei
inscriptiones, tot *Diva, Augusta, Sospitricis, Germania Domi-
triciis, Musarum Dea & Parentis O. M.* & quæ non titulorum
spumæ; librorum verò dedicationes absque numero edeban-
tur. At non tam prolixus constansq; in eos Regina fuit favor
ac eundem sibi Eruditi promittebant. Heu, quam citò defere-
buit! Etenim magni illi Viri in eo peccarunt maximè, quod mo-
destiæ nimium litando, parùm arguti lepidiq; imò nulli aulici
in Regiâ fuere. *D. Naudæus*, dissolutos Reginae mores, eruditos-
que cum nullius pretij vulgo recenseri, haut ferens, aulæ ejusq;
honore spontè se abdicavit, voluntarium exilium cohabitatio-
ni Reginae tam dissolutæ & effrenis, neque literatos amplius su-
spicie tis, rectè præferens. Reverà ab eo tempore, quo Bour-
delottus beneficijs suis Principem fascinaverat, tantum de suo
erga Eruditos favore ac liberalitate remisit, ut omnes ejusdem
pollicitationis æffanæ meræ, & frustra fuerint. Testes vos,
quotquot *Christinam* Holmiæ coluistis, appello. Dicite: quot
plumbeos reportastis montes, cum aureos in promissis habue-
ritis?

XIII. *D. Bouchardus*, cujus virtutes & omnigena eruditio magnum ipsi nomen in aeternitatis annalibus scribunt, Ludimagistri vel Pædagogi in modum habitus fuit. Non semel quæsta Princeps est, eum minus Politicum, lepidum & aulicum: seque nihili ducere eruditum, qui non nisi chartis impalescere, pro ediscendis aliquot Arabicis vocabulis, solet: non existimaret, laudem se ab eâ vel Honores ullos ideò reportaturum. Sed quos Bouchardus adeò non curavit, ut, cum haud longo post tempore Christina, Regni se administrationem resignaturam: literarum studijs & consortio eruditorum impostrarum vacaturam: ipsumq; præcipuum collegij membrum se optare, scripto apud eum contestaretur, ne responsione dignatus quidem eam fuerit. Ob quod silentium reprehendi D. Bouchardus minimè debet, ut cui, Principem omnia in speciem nihilq; seriò & ex animo facere, optimè constiterit. Accedit, quod sibi tanto in Sveciam & itinere & periculo evocato, inq; diversorio torpescenti, post sex demum Hebdomadas elapsas Regina salutandæ facta fuerit copia: quæ parum admodum honoris ei habuit, imò nihil ferè pro tanto labore præmij dedit.

XIV. Lepidum est, quod nati minimo & impubi adhuc *Samassi* filio, *Christina* nostra dedit, consilium ac informatio. Neminem, credo, fugit, Regnam post Illustris illius viri fata (cui in *Academia Upsalensi*, demandato Professorum euidam negotio isto, publicè parentavit) literas ad viduam ejus derelictam conscripsisse elegantissimas, quarum argumentum erat: *quâ ratione educandus instituendusq; unicus ejus sit Filius, quem Pater SALMASIUS, dum in vivis adhuc esset, literarum studijs destinavit!* Mater autem vidua, tanto educationis onere sese liberatura, filium in Sveciam amandavit. Quò cum appulisset, Regnamq; officij causâ adijisset, ad Regiæ manus exosulationem admissus, mentem. voluntatemq; Principis percepit: *egregiam non studijs tantum, magni Patris exemplo, navaret operam, sed mores quoq; aulicos, & alia (vulgus complementa vocat) probè & maturè edisceret: nobilem virum non Eruditioni vacare tantum, sed aulicis etiam festivitatibus, officiis artibus.*

busq; affvesieri debere: & idoneales & aulicas artes parvambula-
re passu, subindè inculcabat. Quæ Reginae informatio, tantas
in puero, ferulæ adhuc imperium agnoscenti, radices egit, ut
ab eo tempore nihil in ore magis ac votis haberet, quàm ut vir-
gines aulâ abeuntes cum æqualibus suis observaret, alex, cho-
reis, petauro, alijsq; gesticationibus indulgeret, seque ijs ul-
tra modum oblectaret exerceretq;.

XV. Sed ad Patrem *Salmasium*. Lautius hunc præ alijs
omnibus Eruditis exceptum à Regina habitumq; esse, palam
omnibus est. Nihilominus & iste animo haut satis liquido Sve-
ciæ valedixit. Cujus rationem nescire me ingenue profiteor.
Legi tamen, cum ibidem agerem adhuc, ejusdem *Salmasij* ad
familiares quosdam literas, in quibus dolere se scribit, quòd à
Reginâ Eruditionis laudes reportarit, cum easdem imperitissi-
mo cuiq; decernere facillime, in favorem declinante judicio,
soleat. Ego tamen non ex absurdis conjicio indicijs, eum in
aulâ susq; deque habitum, &, ut Galli Belgæq; loqui amant:
**Man hat ihm am Hoffe passiren lassen / vor einen
Hanz / deme sein Weib die Hosen nach traget.**

XVI. Quin neque Magni illi *Literaturæ Principes*. *J. G. Vossius* & *Daniel Heinsius*, si exstarent adhuc, eisq; vera dicere
magna ipsorum humanitas Majestatisq; observantia permitte-
ret, animi sui ægritudinem dissimularent. *Dn. Vossio* magno
constitit, antequàm pecuniam, in coëmendis pro Regina libris
effusissimè impensam, ab eadem reciperet. *Dn. Heinsio* sua pro
tot tantisq; in Reginam officijs ac meritis, satisfactio nondum
est; atq; adeò suas adhuc in Sveciâ rationes per filium
urget ac persequitur. Sed frustra. Judica jam, Lector, quanti
Augusta nostra eruditos æstimaverit, quibusq; eos modis, præ-
mijs, honoribusq; affecerit? Dubio procul, si non tam Erudi-
tioni, quam aulicæ luxuriæ & gnathonismo (vanitati inquam)
dedissent operam, rebus suis meliùs longe prospexissent: idque
Exemplo *Bourdelotti*, quem præstantissimum Regina pronun-
ciavit omnibusq; præposuit; qui tamen scurra, ne primis qui-
dem labris, latinitatem libaverat. Contigit aliquando mihi le-
gere

gere ejus ad Episcopum quendam exulem, tùm temporarie o-
 pem stipendiumq; à Regina, eodem Bourdelotto intercessore,
 postulantem, datam Epistolam: in quâ (vix linearum quatuor
 erat Epistola) tres Grammaticos eosque virgindemia expian-
 dos notavi errores. Contextus autem obscurus adeò & intri-
 catus erat, ut ad ejusdem explanationem Oedipo haberem
 opus. Scriptum hocce in Sveciâ à quodam inculpatae fidei
 viro asservatur diligentissimè, ut idem aliquando Vaticano
 Romano, vel Regiæ, quæ est Lutetiæ, Bibliothecæ, tanquam au-
 thenticum Bourdelottinæ sapientiæ exemplar, *CHRISTINÆ*
 verò *κειμέλιον* decantatum inserat. Majorem sanè, quam par
 erat, apud Principem istam nactus est existimationem Bourde-
 lottus, non alia de causâ, quàm quod versus aliquot Gallicè,
 eosq; mendosos satis, composuerit; vel quod Aulæ nepotulo-
 rum præcipuus caputq; fuerit. Quamprimum mihi ejus
 Scripti facta fuerit copia, faxo lucem, unâ cum alijs relationi-
 bus, quas ex Svecia indies expecto, brevi aspiciat. Exindè,
 Lector, colliges facilè, utrum Bourdelottus ejus existimatio-
 nis tantique fuerit vir, quanti eum Regina pronunciave-
 rat? Item, quâ fronte & ratione pusio iste aulicus viros lite-
 ratisimos, qui in Sveciam vocati à Principe erant, carbone
 tam stridente notare ausus fuerit. Præcipuè verò in *D. Mau-
 ri* (cujus eruditio Belgio decantatissima est) poëmate, vo-
 cem, *posteri*, non esse latinam, scribendumque *posteritas*, Criti-
 caster censebat: quod ratum Regina quoque habuit, quia *αυ-
 τος Bourδελόττος έφα*. Admirationem sanè omnem superat,
 tam eruditam, tamque lumine rationis & sapientiæ illustrem
 Principem tenebrionis hujus collyrio esse excœcata. Quo
 comperto vulgus, non sine ratione, ista dei quidem indultu fieri;
 spiritûs autem, quem vocant, familiaris veneficis fascinatam
 Reginam, à Bourdelotto verò potionatam, atque ita dementa-
 tam, dixit. Id quod non ex meâ conjecturâ, sed ex multorum
 asseveratione habeo.

XVII. Neque impetrare à meo possum animo, quin,
 quam suis creditoribus Nostra inu'erit injuriam, signifi-
 cem. Quod dum facio, ex horresco, totusq; in eorum concedo
 sen-

sententiam: eos, qui hanc Regiæ administrationis resignationem, For-
cesionem *Christinae* interpretati sunt; non aberrasse omninò. Oculatus
testor, eam à gemmarijs mercatoribus monilia, lapides pretiosissimos, a-
liaq; *κευέλια*, pretio jam 10000. jam ab alijs 20000. à plerisque 30000.
floreorum coëmisse; solutionem verò menses sex, decem, imò biennium,
miseri lucelloq; inhiantes creditores (quis enim nisi improbus fidem ma-
jestati non habeat) expectabant. Donec tandem Regina dato cuivis Cre-
ditorum chirographo, exsolvendo in tempore nescio quo, peregrè pro-
ficisceretur. Parùm sanè faustis Creditores eam profecuti sunt omni-
bus, qui pretij solutionem ab eadem ultrà ferè biennium expectantes, con-
sumtis quæ habebant necessarijs impensisq;, etiam mercium jacturam in
Majestatis portu passi sunt. Detestaris rei indignitatem, Lector? Mirari
desines ubi, *Maximam Bourdelotti*, seu, quod Reginam edocuerat, Ma-
chiavellisticum cognoveris principium: *Posse scilicet Majestatem de Sub-
ditis pro arbitrio disponere, & in eorum bona liberrimè, etiam sinè obtentu
ullo, manus porrigere.* In laude scilicet pestis illa Gallica posuit, non tam
tondere pecus miserum, quàm deglubere omninò. Sed digna tali fuit
consiliatio Princeps, quæ discere meliora à svadente saniora Imperato-
re Tiberio nolebat. Creditores ergò solutione desperatâ monilium gem-
marumq; suarum restitutionem à Regina traditis aliquoties libellis in-
stanter repetebant. Sed erant in manibus ejusmodi, queis, accepta semel
reddere, neque consuetum, neque moris erat. Repetitores autem, etiam
supplices, contempti à Principe sunt.

XVIII. Quid autem juris ab eo expectabis, LECTOR, qui sibi
ipsi iniquus est. Animum, quæso, oculosq; in rem *Christinae* familiarem
ejusq; *Oeconomum*, ad quem omnes suos remittebat creditores, acrius
intende. Virum vidisse haud poenitebit. Erat autem homo plebejus, lite-
ras nec scribere nec legere potens (solo suo nomine excepto, cujus cha-
racteres cognitos sibi paullo ante fecerat) professionis sartoriæ, dictus
vulgo, *Meister Hans*: quem, acu forficibusq; Regina in frameam conver-
sis, ordini eum equestri, atquè ita inter nobilitatem recensuit, novoq; no-
mine, *Leonem Crenam*, appellavit. Et rectè, meâ quidem sententiâ: ne
collatam Sartori nobilitatem appellationis vilitas denegaret factiq; in-
dignitatem Promotori exprobraret. Generosus ergò noster factus, mox
Reginæ non domum tantùm, sed animum quoq; majori cum authorita-
tis vendicatione regere cœpit, pessumque adeò dedit, ut suprema sibi ro-
tius Regiæ Oeconomica administratio extemplo committeretur. Sed
quam,

AK
Tm
6711

quam suo, non Reginae Regiaeque domus bono, administravit juxta receptum illud Aulicorum vulgò axioma: quo vel toti orbi imponere, dum id modò cautè fiat, haut erubescunt. Profectus aliquando in Gallias, ad necessaria pro Reginae inauguratione coemendum, varijs iisque obsolescentibus mercibus, laneis, lineisque; secum asportatis, tali eas in Sveciâ nundinatione divendit. Fortè tum Regina stipatoribus aliisque; suis ministris vestitum, tesseraeque gentilitiam decreverat. Noster ergò Oeconomus (*Meister Hans*) Principi mercatorem, cui domum suam antehac locaverat, commendavit, qui merces pretij 50. coronatorum, centum aestimavit, asseveravit, divendit, pretiumque sine ullâ sibi disceptatione numeratum mox & ritè ex arario habuit.

XIX. Salutato Oecono, gregales quoque; ejus duos quosdam cubicularios regios videamus. Partes & isti regiminis sibi sumserunt. Alter eorum cognomine *du Piquet*, gente Gallus, mente scelus & famosissimus Leno, cujus uxor ob facinora imposturasque; Bruxellis in carcerem conjecta erat. Alter erat *Alexander* ex Italiâ, Patre veteramentario sutore oriundus. Hi ergò duo, vilissima mancipia, Reginae porcelli audiebant; (*Mann hat sie Königliche Ferkel genennet*) qui jure perfundi qui osse peti, qui (salvâ veniâ) commingi sustinebant. Hi boni viri, majestatem deliquo superante, ab eadem Principe ordini equestri cooptati sunt, nullo antè virtutis edito specimine, nullaque aliâ de causâ, quam quod obscenis jocis, gesticulationibusque; suis eandem interdum oblectaverint, & in artem compositis dolis alios circumducere noverint. Et hæc est Aulae constitutio, talesque; aulici: hæc artes: hæc facinora, eorundemque; præmia. Interroga, si lubet, Lector, alios nobiles, Cubicularios; item pedisequas Majestati tum ancillantes, virgines generosas, aliosque regios Ephebos: quos omnes eodem momento, nullo, quamvis satis superque; merito, stipendio aut honorario ijs dato, alij tradidit. Alloquere, qui menses decem & octo non sine integritatis laude à secretis ei fuit. Quique plures ad omnes Reges Principesque Europæ, non sine proprijs expensis, edidit codicillos, quam antecessores unquam sui? Non semel Reginae fuit: quia ne semellem quidem retulit.

XX. Jam pridem est ex quo *Christina* nobilem Neapolitanum Romam ad se evocavit, ipsaque; Regina Principem Aequillensem foeminam scripto allocuta est: non pigeret Juvenem ad se venire: scire se, non præstita sibi tantum officia, sed studium quoque eorundem remunerari. Bona, quidem verba, nisi speciosè data in ventum abiissent, juvenemque; familiae, illustrissimæ in extremam seduxissent calamitatem. Regia, crede mihi, res est promittere.

hc

Witt

Q.K. 381,3.

CH
SVEG
R

in Brabant
qui longo
Gall



4076)



NAE
HO.
E:

em: abeo,
svectia egit
icum



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

